



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Qvæstio De Vera Ac Nativa Sententia Dicti Pavlini: Nonne
panis quem frangimus communicatio est corporis Christi
&c.**

**Albinus, Petrus
Crell, Paul**

Witebergæ

VD16 W 1696

urn:nbn:de:hbz:466:1-36690





H H W

1 3 7 8

86

Th. 1286.





QVÆSTIO
DE VERA AC
NATIVA SENTENTIA
DICTI PAVLINI:

*Nonne panis quem frangimus communi-
catio est corporis Christi &c.*

IN QVA DE PRÆCIPVIS
Sacramentariæ Sectæ imposturis non
pauca vtiliter monentur.

PROPOSITA à M. PETRO ALBINO
*Nuemontio, cum in Academia VVitebergensi quadra-
ginta duobus honestis & doctis viris gradus Ma-
gisterij Philosophici decerneretur.*

Respondente de hac PAVLO CRELLIO
S. Theologiæ Doctore & Professore.



VVITEBERGÆ

Denuò excusa à Ioh. Schuvertelio.

Anno M. D. LXXVI.

QUESTIO
DE VERA AC
NATIVA SENTENTIA

DEI PATRI
Sicut patet per hanc sententiam
quod corpus Christi &c

IN QVA DE TRINITATE
Sapientiam dei & intellectum non
pauca vultu monstrant

PROFICIA ET PETRO ALBINO
Sapientiam dei & intellectum non
pauca vultu monstrant

Respondens de hoc PAVLO CRILLIO
S. Theologiae Doctor & Professor

1611

IN TERTIA
Dante scripta a Joh. Scherzinger
1611

QVÆSTIO IN RE
NVNTIATIONE MAGI-
strorum proposita.



NOTA EST VOBIS, VIRI
amplissimi, Reuerendi & omni genere
virtutum ac doctrinarum clarissimi, con-
suetudo scholæ vetus & laudatissima,
quæ hanc mihi dicendi necessitatem im-
ponit, alioqui nec per naturam ad dicen-
dum idoneo, nec prodituro in hoc specta-
tissimum virorum ornatissimorum theatrū, nisi et præcepto-
rum me autoritas, & vestra in audiendis ijs vniuersis, qui
ante me ab hoc loco dixerunt, humanitas, & protruderet, &
protrusum erigeret ac confirmaret: Quapropter minime mi-
hi laborandum existimo, quæ ratione meam vobis in dicen-
do infantiam & orationis tenuitatem, & squalorem excen-
sem, aut factum etiam meum probem, quod non petiui, vt
alijs magis idoneis, hæc dicendi partes, ac locus hic honestissi-
mus tribueretur. Officio enim cum fungar quod aliena mihi
autoritas, & quidem iudicium eorum imponit, quib. morosè
repugnare nefas esse duco, in eo exequendo, si obedientia
saltem ac modestiæ laudem obtinuerō, abunde mihi satis-
factum arbitror. Vobis verò ne molestus sim oratione in-
epta, nimis proluxa, aut minus verecunda, studiosè operam
dabo. Quare vt æquanimiter me, ac pro solita vestra hu-
manitate de re vtili ac necessaria, pauca quedam non tam
dicturum, quàm questurum, audiatis, reuerenter vos om-
nes ac singulos oro atq. obtestor.

Fateor autem in electione argumenti ac questionis ido-
neæ, præcipuam mihi fuisse obiectam difficultatē. Nā quale

hoc seculum nostrum sit, & quam dicitur φημοίς cum questionibus tum disputationum altercationibus secundum, nemo est qui ignorat. Nec ego is sum qui vel uno verbulo commouere aut offendere velim ullius pie mentis aures. In causis tamen & negociis publicis, que & singulorum & omnium in Ecclesia docentium ac discipulorum conscientias attingunt atque attinet, cum disputari hoc tempore videam nonnulla, de quibus & explicatione, & consentiente testificatione multorum recte eruditorum opus esse video, Existimaui non vos egrè laturos, si quid de his & mei & scholæ erudienda causa quesiuero, id quale sit, paucis ut potero exponam.

Vide in acerrima dimicatione de Cæna Domini, disputari de sententia vera & orthodoxa verborum, quibus hæc Cæna instituta est. Atque alios διαβοίαν τῆς φημῆς. Alios αὐτὸ τὸ φημῆν simplicissime acceptum atque intellectum defendere atque urgere propalam est, Cumque duas τῆς φημῆς formas atque adeo geminas dirimendi certaminis rationes ac vias vox diuina ostendat, minime à se inuicem dissentaneas, aut apud pias mentes reprobabiles, Quarum prior est simplex, sibique vndiquaque consentiens Euangelistarum narratio, ex ore Christi Magistri excepta, Altera Pauli Apostoli, paululum innouantis atque immutantis, ac ceu interpretantis narrata ab Euangelistis, repetitio, tradita his verbis 1. Corinth. 10. Nonne panis quem frangimus, communicatio est corporis Christi? Nonne poculum cui benedicimus communicatio est sanguinis Christi? Video eò tandem redigi controuersia acerrime summam, ut quaratur, quid sit κοινωσία illa ac communicatio corporis ac sanguinis Domini, qua tanquam περιφρασίς ἢ ἐξηγήσις exponere Apostolus voluit τὸ φημῆν institutionis ab Euangelistis commemoratum, & à se ipso una consentienti voce repetitum. In huius ta-

men

men questionis definitione atq; explicatione, cum rursus
videam, diuersissima esse plurimorum cum veterum tum
recentium in Ecclesia doctorum iudicia, quorum precipuos
non diffitebor fuisse Deodidartæ, quibus assentiendum
atque acquiescendum valde mecum angor. Nam alios vi-
deo abiecta dura illa & seuera (ut putatur) τὸ πᾶν seu li-
tere simpliciter intellecta, sententia, vno quod aiunt ictu
nodum Gordium infinitarum questionum dissoluere, qui
se disputationum de his difficultate, liberare opinantur,
si dicant de sermone Pauli, Panem & poculum Cæna do-
minica, etiam in recto illius & instituto usu, nequaquam
esse ipsum corpus aut sanguinem Domini, nec illa, dato aut
sumpto pane illo ac poculo dominico, verè, realiter, ac sub-
stantialiter adesse, aut ore sumentium accipi & hauriri,
sed tantùm esse ea media, quibus reuera vntuntur ac con-
sociantur illius corpori & sanguini, illi vniuersi, qui in se-
rijs pœnitentiæ exercitijs fide & Spiritu pani illi & poculo
domini communicant: Atq; ad eò hi de sua illa & expositio-
ne & sententia acriter ac pertinaciter dimicant, ut non
verè atrocissima hæreses, schismatum horribilium con-
nitia ac crimina impingere ceteris, qui paulo penitius atq;
accuratius cogitato τὸ πᾶν institutionis, ex hoc ipso Pau-
li sermone, iudicant simplicius ac tutius esse τὸ πᾶν reti-
nere, & non discedere ab illius proprietate ad sententiam
aliam, per se quidem concinnam & plausibilem, sed talem
tamen, quæ à verbis institutionis, & multis alijs de re eadem
testimonijs, propalam oppugnetur ac refutetur. Atq; inde
esse intelligo, quod pia mentes de re tanta serio cogitantes
affirmare non dubitant (quod in scriptis quoq; precepto-
rum reperio ac lego) τὸ πᾶν institutionis esse animo non
prophano, & conscientie in seria lucta quarenti, qua se vel

ratione vel autoritate tueri ac munire possit, Quod à tam
certa, explicata & perspicua verborum sententia discesserit.
Habet verò & habuit utraq; pars, ut notum est, autores
& duces viros summos, ingenijs, eruditione, autoritate,
& usu rerum celeberrimos. Habet & factionum inter se stu-
dia acerrima, & dimicatur de re tanta totos annos quin-
quaginta & amplius. Recens etiam retinentibus tō p̄top̄a
parte altera crimen nouum & horribile, Noui schismatis, &
iniusti in fideles dominij obijci cœpit. Nam hos clamitant
non solum varietate sententiarum in explicando tō p̄top̄a
magna & mirifica inter se disceptare ac disidere, sed & eo
absurditatis ac dementiæ delabi, quò ne ipsa quidem tri-
stis & horrenda transubstantiationis idolomania perue-
nit. Quari enim corporalis presentia in Cœna dominica
presidia in ubiuitate corporis Christi, & vniuersalis omni-
presentia modo, in omnibus locis & creaturis, ex vniōne
personali, & reali Idiomatum omnium in ipsis naturis ef-
fusione ac communicatione mutua.

Ac dissentientes hac in parte à nostris Ecclesijs Sa-
cramentarios, in eo tandem victoriam omnem ponere vi-
deo, Quod aiunt, corpus seu carnem & sanguinem Christi
non aliter in Cœna ad manducandum & bibendum dari,
& offerri, quàm vno illo modo spiritali, quo fide & spiritu
Christo consociamur, & corpori illius videnti & viuifico in-
ferimur & copulamur, abluti simul & velut conserpsi sacro-
sancto illius sanguine, qui in remissionem peccatorum no-
strorum effusus est. Denique vna illa ratione corpus &
sanguinem Domini manducari & bibi, Quo in Iohanne in-
quit carnem suam mundi cibum & vitam esse, qua manda-
cata, viuant in omnem aternitatem, quotquot illi partici-
pent

pent, Et esse illius verba, que vita & Spiritus sint, spiritua-
liter tantum, & fide, ubiq, de q, solis rebus spiritualibus in-
telligenda atque enarranda. De illa ergo sola spirituali
contendunt, Cum panem & poculum in Cæna Domini fra-
ctum & distributum corporis & sanguinis illius
hoc est, Symbolum seu memoriale, seu medium saltem no-
stra cum Christo copulationis ac consociationis nominat.
Hæc vero sententia etsi plausibilis est, & speciosa, & blan-
ditur admodum animis ociosis, & fascinatis imaginatio-
ne impossibilitatis, & absurditatum, quas ex Ecclesiarum
nostrarum doctrina ac confessione aduersarij harum conse-
qui opinantur, ac magno studio ac contentione conqui-
runt, cumulant & exaggerant: Infirmiorem tamen esse
experior, quàm cui tuò inniti mens pia possit, Atque oppu-
gnari illam intelligo cum alijs rationibus multis, tum pro-
prijs Pauli verbis ac testimonijs. Nam primum certissi-
mum est, loqui Apostolum de publico ritu à Christo ipso in-
stituto, in quo videlicet dato atq, accepto pane & vino,
ipsius quoq, corpus & sanguis verè ac realiter adsit ac di-
stribuatur vescentibus. Et hunc ritum opponere illum alte-
ri consuetudini impia, quam impunè licere sibi Corinthj
falso opinabantur, concursibus scilicet ad sacrificia Ethnica,
& epulas idolothytas, nemo inficiari potest, qui vel obiter
verba Pauli inspexerit. Cum ergo duos conuiuiorum ritus, v-
num Ecclesie proprium, & ipsius Christi voce institutum ac
mandatum, Alterum Ethnicum, ortum immediatè à Dia-
bolis fascinantibus miseris mentes idolorū mendacijs, et nu-
mimb. cōmentitijs, inter se cōferat Apostolus, profecto
aut sola illa copulatione ac consociatione, que vitā ater-
nam

nam

nam tribuit Christo insertis ac consociatis, sed de cōmunionē
ac μετοχῆ propria conuiuij & epuli publici, in quo vnus
mensa κοινοί dicuntur, qui rebus iisdem communiter ve-
scuntur ac fruuntur, quae in epulo ac mensa illa communi
apposita sunt aut distribuuntur. Quare cū Paulus ait panem
in Ecclesia fractum ac distributum, corporis Christi
κοινωνία esse, simplicissimè statuo, hoc velle dicere Aposto-
lum, quod postea affirmat, institutionem Domini ad ver-
bum recitans, ac proinde in appellatione τῆς κοινοίας intelli-
gendum esse hoc vnum, quod nostra Ecclesia sentiunt. Datur
& sumto hoc pane & poculo dominico, verè dari & sumi
corpus & sanguinem Domini, praesentia reali, substantiali
& velut in communi Ecclesia epulo à Domino ipso promissa
& proposita. Refutat igitur opinionem contrariam, de so-
la consociatione spiritali, primum mentio publici ritus, de
quo postea quoque Paulus hoc peculiariter addit, speciali Do-
mini mandato istum se ritum Ecclesia Corinthiaca tradidisse,
& quidem ritus instituti formam illis ipsis verbis recitat,
quibus norat eundem ab Euangelistis recitatum esse.

Neciuvat τῶν πρὸς τῶν aduersantes, quod in collatione
hac, qua ritus Ecclesia proprius, epulis Idolatricis opponitur,
inter ceteras illius collationis Phrases hac quoque videtur Apo-
stolus, Nolim vos diabolorum socios esse οὐ θέλω δεῖ ὑμᾶς κοι-
νωνοῦν τοῖς δαιμόνοις καὶ εἰδού. Id enim quomodo intelligi &
accipi velit, mox in continenti explicat, rursus utriusque ri-
tus collationem repetens his verbis: Non potestis poculum
Domini bibere & poculum Demoniorum. Et si enim conce-
datur, de effectu nostri epuli rectè dici, communicationem
ac distributionem corporis Christi, certissimum & efficax
non tantum testimonium, sed pignus etiam esse arētissima
illius

illius cum Christo copulationis, qua illi, tanquam membra
capiti, hoc etiam interueniente pignore, fideles adiungun-
tur, & quidem tam certò & verè, quam certum est, verè
Diabolis copulari, & verè Diabolorum membra fieri, qui
in sacrificijs Idolatricis ad epulas & conuiuia impia, &
Diabolis consecrata, confluunt ac conueniunt: Nequaquã
tamen confici inde potest, Distributionem illam ac $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\iota\alpha\upsilon$
corporis & sanguinis Christi, ab effectu illo & sine sanctissi-
mo prorsus excludendam esse, Quin potius contrarium inde
efficitur atq; ostenditur, Tanta & tam arcana rei obfignatio
nem, sola similitudine panis & vini simplicis fieri non pos-
se, Ac vel ipsis aduersarijs testibus, necesse est, ut consoci-
atio cum corpore & sanguine Christi, earum rerum inter-
uentu, & mutuo quasi usu, obsirmetur atq; obfignetur, qua
artissima illius consociationis ac copulationis nexus sunt
& vinculum pricipuum.

Sed ut de his arcanis non disputem hoc loco prolixius,
 $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\iota\alpha\upsilon$ $\tau\omicron$ $\lambda\iota\alpha\upsilon$ $\alpha\kappa\epsilon\tau\iota\sigma\iota\epsilon$ causam per se planam ledat aut suspen-
ditam reddat, iudico & hoc argumentum, quod etiamsi α -
 $\mu\alpha\delta\epsilon\sigma\phi\omicron\omicron\upsilon$ videatur, $\sigma\alpha\phi\epsilon\sigma\alpha\tau\omicron\upsilon$ tamen & simplicissimum
est, diligenter considerandum esse.

Si Apostolus in mentione $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\iota\alpha\upsilon$ sua intelligi vellet
tantum spiritualement & viuificam illam cum corpore & san-
guine Christi copulationem, qua fit fide sola, & viuientis
spiritus Christi effectione, exclusa penitus distributione illa
ac sumptione Sacramentali seu ceremoniali corporis et san-
guinis Christi substantialis, de qua tamen verba ipsa per spiri-
tuum loquuntur, Non posset postea Apostolus mentionem
illam facere, indigne sumptionis ac manducationis panis,
B imò

imò corporis huius dominici ac sacri: Multò minus affirmare
posset, Quenquam pane hoc indignè manducato iudicium
sibi manducare, & reum fieri corporis & sanguinis Domini,
Nam spiritualis illa cum corpore & sanguine Christi consociatio ac copulatio, propria fidei & spiritus sancti, quam so-
lam in institutione Cœnae intelligi ex verbis Apostoli Sa-
cramentarij volunt, nunquàm indigna esse poterit. Id itaq;
si obtineatur, Paulo teste ac suffragium nobis ferente, Ali-
quos κοινωίᾳ illa corporis & sanguinis Domini (de qua lo-
quitur) & indignos esse & indignè abuti, Et non modo non
consociari aut copulari Christo, sed ab eo, illa ipsa indigna
tractatione ac manducatione sui corporis & sanguinis, dis-
iungi atq; auelli, tanquàm reos, & iudicio horribili desti-
natos: Manifestissimum est, simpliciter impossibile esse,
ut illa verborum Pauli deprauatio verius, quam expositio
orthodoxa, vlla ratione subsistat aut obtineatur.

Atq; his duobus argumentis non diffiteor precipud
me moneri, Quo minus μὴ ἑσθίωμαι αὐτοῦ assentiar: Sed confir-
mat me in πολλοῦ λόγῳ aduersantium, ac mira varietate ar-
gumentorum, quibus etiam firmissima & planissima queq;
artifices illi eludere norunt ac satagunt, illa quoq; ratio,
qua in Apologia Augustana confessionis aliquando usus
est vir sanctus & incomparabilis Dominus Philippus Me-
lanthon, communis huius scholæ, nostrumq; omnium prace-
ptor sanctæ atq; immortalis memoriæ, hunc in modum ra-
tiocinans, Cum dicat Paulus panem esse participationem
corporis Domini, sequeretur panem non esse participatio-
nem corporis, sed tantum spiritus Christi, si non adesset ve-
rè corpus Christi. Nec vlla apparet ratio, vel mediocriter
probabilis, cum corporis potius ac sanguinis, quàm spiritus
Christi

Christi appellatione uti Apostolus voluerit, si solam illam spirituales cum Christo consociationem, exclusa penitus presentis, realis ac substantialis corporis Christi distributione statuere conetur. Cumq; videam & optimo Praeceptorum nostro idem accidere, quod ipsi Apostolo, ut non sit ad deprauationes illas fanaticas iuta ipsius imitando Apostolo simplicitas ac pietas, eò libentius quaestionem hanc propono. Lego in examine ordinandorum hanc illius definitionem: Cæna Domini communicatio est corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi, sicut in verbis Evangelij instituta est, in qua sumptione filius Dei verè & substantialiter adest, & testatur se applicare credentibus sua beneficia, & se assumpsisse humanam naturam propter nos, ut nos quoq; fide insertos fide, sua membra faciat, & nos ablutos esse suo sanguine &c.

In hac pia & simplici definitione, etsi perspicuum est, disertè illum ritus institutionis mentionem facere, & $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha\upsilon$ Apostoli iuxta verba institutionis intelligi velle, Non desinunt tamen impostores Sacramentarij, incalcare imperitis, & alij ipsius, & Ecclesie nostrae iurati hostes, sine fine cavillari, solam illum spirituales consociationem, seclusa ac damnata penitus presentia corporali, asserere atq; affirmare. Ut ergo & veritas dicti Paulini aliquando perspicuè repetatur, & illa tetra calumnia à doctrina publica huius viri & huius Ecclesie, abstergetur ac depellatur, Et multa bona & veritatis cupida mentes ab errore liberentur, ac rectè erudiantur, Reuerenter & officiosè rogo Reuerendum & clarissimum virum Dominum Doctorem Paulum CRELLIVM facultatis Theologicae hoc tempore Prodecanum, praecceptorem nostrum omni obseruantia colendum, ut de sententia Pauli $\gamma\upsilon\omega\iota\alpha$ &

B 2 propria

propria, cum mei tum Schola erudienda causa, dicat paulo
copiosius, Ac quid de meis ille argumentis statuatur ac iudi-
cet, non grauatim publicè ostendat. Hoc suo officio nihil ille
gratius hoc tēpore mihi & Schola, atq̄ adeo vniuersis his
symplicitatis ac competitoribus meis facere poterit, Pro
quo ut vicissim illi omne obsequij ac reuerentiæ debita
studium prestemus, sedulò operam dabimus. Oro autem
filium Dei Dominum nostrum I E S U M Christum, sa-
pientiæ ac doctrinæ omnis fontem vnicum, & lapidem il-
lum angularem probatum, preciosum, & in fundamento
fundatum, cui vni doctrinæ omnis Prophetica & Aposto-
lica, ac tota Ecclesia structura superimposita est, ut ille nos
suo Spiritu clementer doceat, & in inquisitione & expli-
catione veritatis ducat, regat ac confirmet, depellat scan-
dala, & corruptelas impias, Et tandem Ecclesiam
vniuersam, erroribus, rixis & scandalis
omnibus liberet, & sese nobis ma-
nifestet illustri & glorioso
suo aduentu.
Amen.

D I X I.

RESPON-

RESPONSIO AD QUÆSTIONEM RECITATA à DOCTORE CRELLIO.



DOCTISSIME vir, amice reuerenter colende, cum Collegij nomine dicere iubeat, & quidem de Quæstione omnium, quæ cogitari possunt dulcissima, & cogitatu iucundissima, De vera videlicet cum Christo filio Dei consociatione, deq; e corporis illius nouitate, Quæ tamen propter insuauas & iniucundas disputationū salebras, tractatu hoc tempore est difficilior, & in odium abducta summum, Principio & ego toto pectore gratias ago Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori cæli & terræ, & hominum & Ecclesie sue, una cum filio Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, Quod in homines conditos per ac propter Filium imaginem suam proximam ac primariam, transfudit similitudinem sui, & res in se optimas ijs communicauit, potentiam intelligendi, voluntatem, agnitionem sui, radicis legis sue, sapientiam, iusticiam, & libertatem, Quodq; facit nos sibi domicilium, & his tantis donis testatur, verè à se diligere genus humanum: Ac doleo toto corde, quod ingrati hoc tantum decus & hæc tanta bona nos miseri homines obscurauimus, & non satis intelligimus, & subinde maiores tenebras accersimus nostris lapsibus. Eumq; propter Filium, qui & imago ipsius est proxima, & nobis donatus est, ut & imaginem Dei in nobis restituat, & rursus Deo nos adiungat, oro, ut immensa misericordia propter ipsum nos recipiat, & suam lucem, vitam & similitudinem sui in nobis Spiritu sancto suo renouet, & accendat corda nostra, ut hæc tanta opera & beneficia ipsius rectè agnoscamus, & eorū consideratione, amore ipsius inflamemur, & ipsi gratias agamus ac reuerenter obediamus, Commonefactus quoq; tua cum oratione ac querela, tum scandalis, & certaminibus horribilibus, quæ sunt ante oculos, Ac quæstione in primis tua, de re omnium ut dixi summa & dulcissima, intimo cordis mei gemitu opto, ὡς ἐστὶ ἐκ τῆς δεξιῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἀποστόλου.

Hæc postquam præfatus sum, video & mihi propter Scholæ
consuetudinem, necessitatem adferri dicendi de tua questione aliquid,
quæ profecto hoc tempore & cognitu est necessaria, & lucem præbet
vilem ac dulcem in præsentibus certaminibus. Ac conscius mihi æque
atq; tu meæ & imbecillitatis, & in rebus tantis explicandis infantia,
oculis atq; animo gemens requiro, illa pulcherrima huius Scholæ lu-
mina, LUTHERVM, BUGEŒHAGIVM, IONAM, CRYCI-
GERVM, EBERVM, MAIOREM & alios, ac præcipuè disertum
illum ac prudentissimum questionum ac responsionum hoc loco consueta-
rum Magistrum atq; artificem inimitabilem, THILLITVM ME-
LARTHOREM sanctæ memoriæ. Nam illorum virorum voce ac
facundia rem illam maximam ac difficillimam explicari oportebat, non
mea balbutie, Quæ intuens animo quam horribiliter ab ingratis non-
nullis discipulis ac Cuculis sancta illa THILLITTI anima propter
hanc ipsam questionem lacerata sit, valde vereri cogor, ne si vel ver-
bulo vno ostendam, illorum me vehementiam imitari aut probare non
posse, in me quoq; illos concitem, & velut crabrones insensissimos irri-
tem, sed dicenda veritas est, rûpantur ut ilia Cudris, fractusq; illaba-
tur orbis. Et erigor ea in re hac potissimum consolatione, Quod filius
Dei & per infirma organa efficax est, & per infantes etiam ac balbu-
tientes potentiam inimici & vltoris destruit.

Primum autem non grauati tibi assentior, loqui Paulum princi-
paliter ac propriissimè de κοινωσι & non spirituali, sed sacramentali, hoc
est, de communicatione ac distributione corporis & sanguinis Christi
tali, qua, ut tu dixisti, in conuitio communi ac publico, dato ac sumo
pane & vino, simul datur ac sumitur corpus & sanguis Christi, ut pote
res in hoc sacro & mystico epulo præcipuè à Christo promissa, omnibusq;
ad fruendum & vescendum proposita. Ac de argumentis tuis quibus
demonstrare conatus est, hanc esse κοινωσι Pauli sententiam, Et aber-
rare à mente Pauli, ac plane illi iniuriam ac vim facere, qui abiecta
atq; exclusa hæc sententia aliam illi affingunt ac substituuunt, rectè te
ratiocinatum esse iudico. Ac plura etiam ab ipso Paulo suppeditari
firmissima argumenta, idem & testantia, & demonstrantia, manife-
stissimum est.

Cum

Cum enim Apostolus sit, ac ἡποφύτας filij Dei, ac sequenti ca-
pite perspicue adfirmet, ritum illum sacrae coenae Domini, quem in il-
lorum Ecclesia ipsis tradiderit atq; instituerit, ut publicorum congressu-
um neruus esset, à Domino ipso se accepisse, Legati orationem ac sermo-
nem minimè oportere aut posse dissentaneum esse, à mandatis & instru-
ctione Domini ac superioris, certissimum est. Et fuisse Apostolum
ὀικονομοῦ πρὸς τὸν μυστηρίῳ τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐπιδέοντα, multis in locis
ille affirmat. Ac res ipsa id testatur & comprobat. Nam ritum mysti-
cum postea ἡσάμν verbis recitat, quibus à Domino institutus est, Itaq;
vel ex sola illa recitatione apparet, quo sensu tum Apostolus de κοινω-
νίᾳ corporis & sanguinis Domini loquatur. Necesse est enim congrue-
re hac Domini verba, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, Et
hunc legati atq; Apostoli sermonem, Panis quem frangimus, communi-
catio est corporis Christi, Nisi enim congruant Domini & legati mens
& verba, Dissidium inter utrumq; fuerit. Et legato tam fideli, ac to-
ties ab ipso Domino laudato, falsi crimen necesse fuerit affingi, Quod
absurdo est absurdius. At loqui Dominum de Pane dato, distributo &
sumto, in hoc communi, sacro & mystico epulo, nemo negare potest.
Necesse itaq; est & Pauli κοινωνίαν de hac distributione & sumtione
sacramentali & corporali, (Ut docendi ac perspicuitatis causa Ecclesia-
rum nostrarum antistites pij ac θεοδιδάκτορες ante nos locuti sunt, &
nos cum ijs libenter adhuc loquimur) intelligi, Ac proinde mentem A-
postoli esse, dato & sumto hoc pane & poculo sacro dari ac sumi cor-
pus & sanguinem Christi. Atq; hac sententia quid simplicius aut ma-
gis perspicuum, in hac tam graui & tot modis variata, tamq; mirandis
præstigijs implicata causa dici possit, non video neq; intelligo. Quo ma-
gis etiam accusandi & odio digni sunt Sacramentarij, quod hac simplici
& perspicua sententia spreta atq; abiecta, suis præstigijs impijs causam
dederunt disputationibus alijs, quas satius fuerat nec attigisse quidem,
medum nonisse aut agisse, Comprobat sententiam hanc nostram &
reliqua oratio Pauli, illo ipso in loco, & argumenta quibus in exhorta-
tione sua vitatur: Cepit monere Corinthios, ut cultus, conuiuia, imò eom-
mercia omnia idolatrica fugerent, Hoc ut persuadeat eis, Argumen-
tum sumit à ritu sacro ac mystico, quem Ecclesiae Deus proprium, &
vi di-

ut dixi, publicorum congressuum neruum esse voluit, atq; ipsos sane eo-
rum que diceret indices facit. Opponit ergo conuiujs idolatricis conui-
uium sacrum Ecclesie, In idolatricis, ait, proponi vescenda ea que
Diabolis sint immolata, Quaeq; testentur consentire de cultu Diaboli-
rum & idolorum eos, qui ad hac conuiuia impiorum accurrant. In
Ecclesie vero conuiuio sacro, proponi vescendum & fruendum sacrum
illud λῦτρον, quod in redemptionem nostri, & remissionem omnium
peccatorum nostrorum traditum est, corpus videlicet & sanguinem
Christi, & testari totum coetum ad hoc sacrum & dulce conuiuium ac-
cedentium, concorditer se & de cultu filij Dei Domini nostri Iesu
Christi, ac nominatim de annuncianda morte, & retinenda memoria
eius sempiterna consentire. Hac vero sacri illius conuiuij esca precio-
sa & dulcis, cum hic & opponatur & distribuatur, & coniungat om-
nes ad illius cibi κοινωνιας ac perceptionem conuenientes, ipso metuo-
bet pronunciare, an eos deceat concurrere ad conuiuia & sacrificia Ido-
larica: Si qua ergo consociatio, propter hanc Sacramentalem corporis
ac sanguinis Christi distributionem ac sumtionem, que fit in coetu Ec-
clesie publico, visibili & corporali, ab Apostolo appellatione τῆς κο-
ινωνιας intelligeretur ac significaretur, istam potius mysticam, & tam-
visibilem ac corporalem, vnus coetus visibilis ac corporalis societa-
tem, ac coagmentationem plurimorum, quanquam dissimilium mem-
brorum in vnum quasi corpus, intelligere necesse esset, Quam affinge-
re aliud quid Apostolo de consociatione fidei & Spiritus, qua tanquam
fureculi & palmites mortui, ac corruptioni obnoxij & destinati,
Christo redemptori, ut capiti, ac viti viuæ & viuificanti, singuli cre-
dentes & electi inseruntur & consociantur. At de hac spiritali &
vniuersali consociatione principaliter non loqui Apostolum, hoc quidem in
loco & exhortatione, exempla illius ostendunt, quibus argumenti sui
σῶμα ἑξ ὅπου illustrat. Nam ut de pane communi dixit, qui in Ecclesia dis-
tribuitur, simul dato & sumto corpore Christi, cuius participatione
omnes Ecclesie ciues in vnum quasi corpus, & in vnum coetum, arctissi-
mo inter se nexu copulatum, coniunguntur ac coagmentantur. Ita Is-
raelitas inquit in superstitione suorum cultuum coniungi concursu ad sa-
crificia apud illos vsitata, Item, coniungi eodem modo & ratione in

manifestè impio Dæmonum ac Diabolorum cultu, qui ad illa sacrificia
& conuiuia accedant, in quibus Diabolis immolata religiose propo-
nantur. Atq; hinc tanquam ab exemplis irrefutabilibus, pronunciat
in modum certæ atq; indubitæ conclusionis seu demonstrationis, Non
posse aut debere illos, qui cœtui Ecclesiæ adiuncti sunt, accedere ad ag-
mina & conuiuia illa idolatrica, dicata ac consecrata Diabolis, Hac
est, non posse aut debere ad mensam & poculum Domini in Ecclesia ac-
cedentes, concurrere ad conuiuia, in quibus apponantur Diabolis im-
molata: Id volunt verba Apostoli dicentis, Vnus panis, vnum corpus
sumus multi, de vno pane participantes. Item, videte Israël secundum
carnem, Nonne qui hostias comedunt, participes sunt altaris. Item,
Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant & non Deo. Nolim autem
vos socios fieri dæmoniorum: Non potestis ergo calicem Domini bibere,
& calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse,
& mensæ dæmoniorum. Omnia hæc de publicis congressibus, & de
ijs, quæ in his tum publicè fiebant, dici ab Apostolo, nemo sanus inficia-
ri potest, Quare rursus hinc quoq; certissimum est imprudenter à Sa-
cramentarijs sententiam aliam, prorsus à mente Pauli alienam, verbis
his disertissimis & planissimis affingi.

Omitto Argumentum tuum tertium, quod attingis potius quàm
explicas, Quanquam & illud euidentissimum est, si rectè explicetur:
Si voluisset Apostolus simpliciter intelligi spiritualem cum Christo con-
sociationem, planè exclusa participatione ac distributione corporis &
sanguinis Christi sacramentali ac corporali, nihil attingebat, nominatim
ac distinctim eum dicere de communicatione corporis & sanguinis.
Multò expeditius dixisset ac simplicius, Panis quem frangimus, ipsius
Christi consociatio est, Vel magis etiam euidenter ac simpliciter, vt ca-
pitulo tertio & sexto huius Epistolæ loquitur, An nescitis, quia tem-
plum Dei estis, & Spiritus Dei habitantis in vobis. Item, An nescitis
quoniam corpora & membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui
est in vobis, Vel vt 2. Corint. 6. loquitur, Quæ participatio est iusticiæ
cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio
Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli & infideli? Qui consensus tem-
C plo

plō Dei cum illis? Vos enim estis templum Dei viui &c. Poterat honestissime & grauiſſime, ac multò maiore cum perſpicuitate, his formis hoc quoq; in loco uti Apoſtolus, ſed cum à Cœna Domini argumentum ſumere Apoſtolo libuiſſet, mauult uti illa orationis forma, quæ institutioni Cœnæ, & ritibus illis vtrinq; oppoſitis ac contrarijs quàm maxime conueniret. Atq; intellexit & vidit haud dubiè Apoſtolus, tam non fieri in ritu illo Cœnæ dominicæ, ſolam ſpiritualem cum Chriſto conſociationem, ut contrarium potius horribiliter in Eccleſia Corinthiaca fieret, Et multi tetro huius Cœnæ abuſu, & prophanatione, rei fierent illius preciſiſſimi ἀλλυγῶν, quod Dominus certiffimæ conſolationis ac confirmationis pignus ſingulis eſſe voluit. Sed explicari hæc tanta res tam breui oratione, & in hac tanta temporis anguſtia non poteſt, ideo Argumentum hoc totum in præſentia omitto atq; abrumpo: Illud addo de expoſitione Sacramentaria, Planè illam cæteris illorum commentis atq; impoſitis præſtigioſis contrariam eſſe, ac manifeſta vanitatis atq; inconstantie auctores ſuos cõarguere, Cum enim alibi in verbis inſtituta Cœna Domini, tropoſ ſuos conſtituant, alij in copulativa particula, Eſt, quam ſignificandi vocabulo interpretantur, Alij in appellatione corporis, quam vocem ſic enarrant, ut corpus illis ſit ac ſignificet corporis Symbolum ſeu ſignum, Alij alijs modis verba Domini torqueant, ſola hæc expoſitio, vocabulum Corporis in hoc Pauli textu in propria ſignificatione retinet ac relinquit, ac φάρακαρῶν cauſæ ἐπιταυροῦσῶν, querit, in deprauatione & tortura appellationis Græcæ κοινωσία, Et hoc quod propriè Paulus intelligi vult, de communicatione ſeu participatione corporali, in conſociationem ſpiritualem conuertit.

Hæc verò in interpretatione διαφωνία, ac contrarietas, vel maxime argumentum eſt Spiritus in re tanta incerti ac vertiginofi, Quo commonefieri ſingulos oportebat, ne ſine accurata δοντιμῶσῶν, ac diſquiſitione quibuſcuſq; expoſitionibus adplauderent.

Omitto autem & hoc, additurus pauciſſimis quàm potero, que ad diſſoluendum præcipuum illorum ὁμοιομα, neceſſaria eſſe intelligo: Tuentur ſe illi verborum ſacrorum κωδωνταί ac tortores, præcipue
auctori

autoritate veterum nonnullorum doctorum, ut Augustini, Chrysostomi, Theophylacti, & aliorum, qui sic exponunt verba Pauli: Panis est id quo vivimus corpori Christi. Vnicuique enim fidelium, inquit Chrysostomus, per hoc mysterium sese coniungit Christus ac commiscet, & quos genuit, per semetipsum nutrit. Atque hinc contendunt carnale esse, ut ex eodem Chrysostomo aiunt, dubitare aut quaerere, Quomodo possit nobis Christus carnem suam ad manducandum dare, cum mysticè id & spiritualiter sit intelligendum. Indeque constare dicunt, Aliud esse mysteriorum communicationem, quae spiritualiter & per fidem est intelligenda. Aliud rursus, in verbis & manducatione Cænae, corporalius & substantialiter præsens esse & coram distribui corpus Christi, Aliud denique, ori, & cæteris corporis sensibus, Aliud spiritui & fidei offerri. Cum enim Sacramenta, ut mysteria, quæ non sensibus sed fidei proponuntur, æstimanda sint ex verbo Dei, confici necessariò, corpus & sanguinem Christi offerri spiritui mentis & fidei, atque adeo solummodo spiritualiter credenti communicari & c.

Agnosco verò in hoc tam specioso Sophismate, verba aliqua optimorum autorum ac doctorum veterum, ut Augustini & Chrysostomi, nec inficio statuisse illos pientissimos viros, Esse Cænam Domini, ac distributionem corporis & sanguinis Christi, certissimum pignus ac velut ὄραμα ἀριστῆρα artificissima nostræ cum Christo copulationis. Sed hoc eos sensisse, quod nunc ipsis affingunt recentes uterentur ad Sacramentarij, Quod ex verbis illorum per vim quasi, extorquent, Plane scilicet ex dicto Pauli & verbis Cænae excludendam esse præsentem præsentis corporis Christi distributionem ac functionem corporalem. Id verò pernego vel Christum, vel Paulum, vel optimos illos Doctores veteres sensisse aut intelligi voluisse. Nam aliud eos testari, innumerabilibus in locis scripta illorum ostendunt.

Oppono itaque Chrysostomum Chrysostomo. Nam sic ille in Ioanne alicubi loquitur, Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si & sensui & cogitationi nostræ absurdum videatur quod dicit, Superet & sensum & rationem omnem sermo ipsius. Idque in omnibus ac præcipue in mysterijs faciamus. Non illa tantum quæ ante nos iacent, & præ oculis posita sunt, aspicientes, sed verba quoque eius tenentes, Verbis enim

ipsius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilimus. Illa falsa esse non possunt, hic sapius atq; sapius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus & intueamur & c.

Quid dici ad comprobendam & ostendendam præsentiam corporelem magis perspicuum potest? Cur enim opponit optimus pater sensuum absurditati & repugnantia, verbi ac promissionis diuinæ certitudinem? Cur fidem requirit intuentem non tantum ea, quæ ante nos iacent, quæ oculi dijudicant & cernunt, sed ea quoq; quæ verbo Domini veracis & omnipotentis offeruntur? Plane ergo Chrysostomus noster est, Et ut Canon Nicenus attendere accedentes ad Cœnam Domini, non tantum ad panem & poculum in mensa dominica propositum, sed cogitare ac statuere firmissimè iubet, iacere in ea mensa agnum Dei & λύτρον preciosissimum, quo redempti sumus, corpus scilicet & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, Deniq; ut Irenæus inquit, Cœnam Domini duabus rebus constare, Una terrena, Altera cœlesti, corpore scilicet ac sanguine Domini, Ita Chrysostomus fide plenus, & à Sacramentarijs opinionibus & præstigijs alienissimus, inquit: Quoniam ergo Dominus hoc dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus ac teneamus, quod sensus & ratio impossibile atq; absurdissimum esse iudicant. Ideo alibi exclamat ὦ τὸ δύματος ὦ τῆς τοῦ Θεοῦ Βιλαυθροπίας, ὁ μετὰ τὸ παθεῖν ἀνω καθήμυθ', κατ' τὴν ὥραν ἐκείνη, τοῦ ἀπάντων κατεχεται χεῖρσι, καὶ δίδωσιν αὐτοῦ τῆς Βουλοῦντοῦ τῶν πηξιαῶν καὶ παραλαβῶν. O gens miraculum, ὁ magnam Dei benivolentiam ergo nos, Is qui supra sedet cum patre, illa hora omnium manibus teneur, & dat se volentibus circumdare & complecti. Tam perspicuè ergo eum nostram sententiam comprobent ὁρθῶς ὁμοῖοι veteres, erubescere saltem debebant οἱ μυστηρίομαχοι, dicta illorum optimorum patrum aspicientes, eaq; cum suis præstigijs conferentes.

Fuit Athenis olim lex publica, ut qui in foro dicerent publice, à mendacijs abstinerent, ἢ ἀγορᾶ μὴ ψευδῆσιν. Ea multo magis ac sanctius in Ecclesia cogitanda erat, & valere debebat ἢ ἐκκλησίᾳ μὴ ψευδῆ

ἔειπεν ἡσυχῆ. Sed ita suam causam agunt Sacramentarij, ut a falsis etiam
testimonijs non abstineant. Itaq; de illorum praestigijs rectè Euripideum
illud dici potest. ὁ θεὸς ἡσυχῆ ἢ αὐτῶν νοσῶν λόγῳ, πολλῶν δ' ἔ-
ται ἡσυχῆ σοφῶν φασματικῶν.

Etiamsi ergo concedamus, veteres doctores in Cæna Domini,
aliquam cum Christo consecrationem spiritualem statuisse atq; intelle-
xisse. Et nos quoq; non negare: Tamen putida illorum sophismata pe-
nitius concidunt, si addamus consecrationem illam spiritualem fieri atq;
intelligi in Cæna, si cætera sint paria. Id est, si non excludas distributio-
nem ac sumtionem corporalem, quam Christus sancit et instituit, et
quam principali et Paulus intelligit. Item, si addas, fieri illam con-
secrationem, vel potius illius pignus certissimum ac σφραγίδα
efficacem esse, in his, qui fide accedunt, et in veris exercitijs pœ-
nitentiæ et piæ inuocationis, consolationem ibi fide petunt ac quæ-
runt. Atque adeo fide corpore et sanguine Christi fruuntur. Quod
certè nos, nostræq; Ecclesiæ, summa cura ac fide docent et urgent assi-
duè. Nec aliud voluisse sanctum Philippum nostrum, quem et Sacra-
mentarij et Flaciani sædè lacerant, cum in definitione Cænae dominicæ
utrunq; coniungit, dictum videlicet Pauli de communicatione corporis
et sanguinis Christi, Idq; intelligi vult, iuxta verba Euangelij, seu
formam institutionis recuatâ ab Euangelistis. Ac postea prolixè addit
de pio et su seu effectu huius ritus, Testari videlicet filium Dei hac do-
natione et exhibitione sui corporis et sanguinis, se applicare credenti
et fidem huic afferenti, omnia sua beneficia, et membra sua singulos
facere et c. Est itaq; noster ac sententiæ nostræ ὁμοψυχῶς etiam Phi-
lippus sanctæ memoriæ, quantumuis eum Sacramentarij mendaciter ad
sua castra pertrahere, Flaciani verò, immanibus odijs illius ardentes,
à dicendo veritatis testimonio depellere, et à nostris eum Ecclesijs ex-
cludere crudeliter conentur.

Sed erigamus nos, qui vocem eius sanctam adhuc reuerenter
audimus et discernimus, illa consolatione Psalmi, Non condemnabitur
iustus, etiamsi iudicabitur. Cum neutri parcant diuinæ voci, et sermo-
ni filij Dei, et auctoritati Apostolicæ, non mirum est flagellari ab ijs et
reliquis doctores pios excitatos ad repugnationem doctrinae cælestis, il-
lustribus testimonijs diuinis ac publicis.

Nos testimonia intuentes, quibus illorum curricula Deus honestavit ac comprobavit, gratis animis ijs, quæ nobis ipsi reliquerunt fruamur, sumus in inuestiganda & retinenda veritate fideles, firmi & constantes, Adhibeamus in iudicando candorem & ἐπιεικείαν τῆς ἀληθείας bonis dignam. De ingratis sciamus verissimum esse & fore in omnem eternitatem, dictum Salomonis: Non recedet malum de domo ingrati &c.

Dixi de questione tua non quantum debebam ac necesse erat, sed quantum & potui & temporis huius angustia permisit in presentia. Restat ut & de altera illa cum Christo consociatione Spirituali, deq; vinculis illius, quæ passim Apostolus ac uniuersa vox diuina repetit, atq; inculcat, & sepiissime perspicue inter se discernit, adijciam aliquid. Item, ut diluam & partem alteram sophismatis Sacramentarij, cui se & sua inuoluunt, contendentes, mysteria verbi proponi non corpori, aut sensibus corporis, sed Spiritui mentis & fidei. Ideoq; fide ac spiritu dyudicanda esse. Nec permittendum ut dicatur ore corporis accipi verum ac substantiale corpus Christi. Sed fide tantum id & manducari, & presentiam eius intelligi. De his ergo pauca quadam, sed vera & cogitatu necessaria subijciam. De illa itaq; Spirituali cum ipso Christo consociatione ac κοινωνίᾳ, quæ tantum sanctorum & verè conuersorum ac credentium est propria, de qua Paulus 1. Corinth. 1. loquitur, inquit, Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. Et Iohannes, 1. Iohan. 1. ἡ κοινωνία ἧς ἡμεῖς ἔμετα τὸ πατρὸς ἕστιν ἡμεῖς ἔμετα τὸ υἱὸς αὐτοῦ ἰσχυρῶς. De ea ergo & quid doceat diuina vox, & quibus illa in rebus consistat, quibusue, ut sic loquar, vinculis contineatur, operæ precium est diligenter & inquirere & cogitare. Nam diuersimode hanc passim exponi, & multos eius ceu nexus arcanos allegari, Nec ab his excludi, sed potius eis includi atq; annumerari, hanc ipsam de qua in presentia querimus communicationem, corporis ac sanguinis Domini corporalem, multa perspicua testimonia diuina & vocis ostendunt.

Ad Ephesios enim primo capite inquit Paulus, voluisse Deum in Christo Iesu omnia rursus ἀνακεφαλαιώσασθαι, hoc est, ad unum caput

caput adiungere. Significat ergo & ante lapsum, homines Deo tanquam
capiti copulatos fuisse, & ab eo tanquam membra pependisse. Nam sic
condidit humanam naturam Deus, ut voluerit eam ipsi similem &
copulatam esse in summis dotibus, ut esset testimonium de ipso, osten-
dens & esse Deum, & qualis sit, Et hæc similitudo simul erat testimo-
nium veri ac mirandi amoris in Deo erga hanc naturam. Ideo enim
in nos transfudit similitudinem sui, ut ostenderet nos à se diligere, Ac ut
pater & filius spirant in æternitate Spiritum sanctum, qui est amor sub-
stantialis, copulans ab æterno patrem & filium, Ideoq; amor & nexus
patris & filij, seu amor unitus in patre & filio dicitur, Ita ille idem
Spiritus effusus in homines ipsos quoque Deo copulabat. Nec enim po-
tuit in creatura rationali fieri vera agnitio & adprehensio patris & fi-
lij, nisi lux in mente & corde per Spiritum sanctum accensa & vo-
luntas ac cor hoc ipso Spiritu flectantur ac confirmantur, ut accensam
lucem retineant, ut 1. Corinth. 2. dicitur, Animalis homo non perci-
pit ea quæ sunt Spiritus Dei, Ac Moses ut hoc ipsum significaret, mox
initio suæ narrationis vixit verbo admodum emphatico, inquit,
Spiritus Dei incubuisse rebus conditis, easq; sua & luce & suis moti-
bus agitare & fouisse. Sed per peccatum & lapsum primorum homi-
num, & hæc similitudo cum Deo horribiliter obscurata & depravata
est, & excussio Spiritu Dei hæc misera natura à Deo auulsa est. Eratq;
peritura ac mox initio auulsionis in nihilum reditura tota species ac
massa humana, nisi immensa bonitate filius eam asseruisset, suaq; inter-
cessione, sponsione & precij æquivalentis ac dignioris pactione, à Pa-
tre æterno impetrasset, ut decretum de mittendo filio, & de unienda
illi massa humana faceret. Filio ergo misso & naturam nostram assu-
mente, non tantum ipsius assumpta massa Deo copulatur atq; adiungi-
tur, sed & nos ceteri fide membra filij facti, per eum & propter eum,
ad idem caput rursus adiungimur, Ideo postea Paulus eodem primo
ad Ephesios capite, & alibi sæpe, inquit, Christum caput esse Ecclesiæ
quæ sit corpus seu πλῆρωμα, ipsius, in quo omnia ille in omnibus effi-
ciat.

Est itaq; medium immediatum nostræ cum Deo copulationis ac
consociationis, filius Dei, ad cuius imaginem ac similitudinem imita-

conditi eramus, Quisq; assertor est unicus & instaurator depravate atq;
obscurate, imò avulsæ à Deo imaginis.

Sed ipsi filio copulamur ac consociamur adiuncti illi tanquam
capiti. Primum naturæ συγγενεία, cognatione, ac similitudine. Hac
enim cum ab ipso assumpta eiq; artissimè copulata sit, ita ut quod semel
assumpsit, in omnem aeternitatem non deponat, nominatur Ecclesia cor-
pus eius. Ephes. 1. 4. & 5. Cap. Coloss. 1. & 2. Item 1. Corinth.
11. Cap. Et singuli credentes membra eius, & templa Dei, & spiritus
Dei, imò ipsius etiam filij habitantis in nobis per fidem, Deniq; omnes
unus in uno Christo Iesu nominamur, ut multa illustria testimonia
passim testantur, ut 1. Corinth. 6. An nescitis quoniam corpora ves-
tra membra sunt Christi, Item 1. Corinth. 12. Vos autem corpus estis
Christi & membra de membro. Item 2. Corinth. 6. Vos estis tem-
plum Dei vivi. Item, Roma. 12. Multi unum corpus sumus in Chri-
sto, singuli autem alter alterius membra. Ac huius tam mirandæ συ-
γγενείας, consociationis καὶ συσσωμείας vinculum immediatum esse
naturæ similitudinem seu cognationem, quam à nobis filius Dei assump-
sit sibi, uniuertè Paulus comprobat Ephes. 5. inquit, Chri-
stus caput est Ecclesiæ & saluator corporis eius. Nemo enim unquam
carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus
Ecclesiam, Quia membra sumus corporis eius, caro de carne eius, &
& os ex osibus eius. Item Hebræos 2. Cap. ἐπεὶ ὁὖν τὰ πρῶτα κα-
κοινώθηκε σὰρξ καὶ αἷμα, καὶ αὐτοῖς παραπλήσως με-
πέχε ἢ ἡ αὐτῶν &c. Item ὠφέλε καὶ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμο-
ωθῆναι ἵνα ἐλεημῶν ᾖνται καὶ τῶς ἀρχιερεῖς τὰ πρῶτα τῶν
θεῶν &c. Nec aliud vult aut intelligit filius Dei, cum se vitem, cre-
dentes palmites ipsius esse inquit, Et in se illos manere iubet, se q; in ipsis
esse & manere velle pollicetur, Iohan. 15. & 17. Item cum suam
carnem panem vivum esse ait, quem pro mundi vita daturus sit Io-
han. 6.

Sed non est contenta vox diuina uno illo copulationis illius a-
eano vinculo, passim ergò & alterum inculcat, Quod scilicet & Spiri-
tus sanctus ad extra etiam ac temporaliter à patre & filio procedens,
in cor-

in corda credentium mittitur, qui & accendit & renouat corda eorum
qui uoce Euangelij conuertuntur ad Deum, & fiunt haeredes uitae
aeternae. Hoc enim Spiritu bonitate immensa Pater & Filius copulant
atq; adiungunt sibi creaturas racionales quas diligunt, ut Iohan. 13.
dicitur, In hoc cognoscimus quod in eo manemus, quia de Spiritu suo
dat nobis. Ideo non uno in loco Paulus uinculum hoc arcanum ac pla-
ne caeleste allegat. Ac nominatim & disertè de Spiritu sancto dicit,
illo nos tanquam σφραγίδι ac pignore obsignari, ut 2. Corinth. 1.
Deus est qui nos unxit, & nos signauit, & dedidit pignus Spiritus in
cordibus nostris. Item Ephes. 1. Cum audissetis uerbum ueritatis,
Euangelium salutis uestrae, in quo & credentes signati estis Spiritu
promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae &c. Ideoq;
Roma. 8. Cap. simpliciter ab omni societate Christi excludit Aposto-
lus, qui Spiritum hunc Christi non habent, & ab illo non aguntur:
Si quis, inquit, Spiritum Christi non habet, non est eius. Quicumq; enim
Spiritum Dei aguntur, hi sunt filij Dei, Ac 1. Corinth. 3. inquit, Ne-
scitis quod templum Dei estis, quia Spiritus Dei habitat in uobis.
Item eiusdem Epistolae 6. Cap. An nescitis quoniam membra uestra
templum sunt Spiritus sancti. Ut enim paulò ante dixit, corpora no-
stra membra Christi esse, ita eadem illa membra templa esse ait Spiritus
sancti habitantis in nobis. Christus itaq; Ecclesiae caput est, adglu-
tinans nos aeterno Patri, & est efficax effuso Spiritu sancto, sicut ex ca-
pite spiritus animales deriuantur in reliquum corpus, ac praebent eis
uitam & motum. Spiritus sanctus est hoc ipsum quod sentitur, in
uera consolatione, sicut ipse est motor: Nisi enim sentiretur motus in
corde & uoluntate, congruens cum uoluntate Dei, nemo de sua
cum Deo copulatione certus esse posset. Atque sic est Arrabo Spi-
ritus sanctus, miscens sese spiritibus nostris, ac ueluti contrahens cum
ijs, & dans illis testimonium nos esse in gratia, & uerè uitae aeternae
haeredes esse, & ad regnum caelorum, unde ille in credentes effundi-
tur, pertinere.

Virumq; uinculum arcanae huius nostrae cum Christo consocia-
tionis, uenustissimo dicto complexus est Tertullianus, grauissimè de
utroq; inquit in libro de resurrectione carnis: Hic sequester Dei atq;
D homi-

hominum appellatus ex utriusq; partis deposito commisso sibi, carnis quoq; depositum seruat in semetipso, arrabonem summae totius. Quem admodum enim nobis arrabonem spiritus reliquit, ita & a nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in caelum, pignus totius summae illuc quandoq; redigenda: Securæ estote caro & sanguis, usurpatis & caelum & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in caelo Christum, qui vobis caelum negauerunt.

Sed cum Ecclesiam aeternam Deus voce Euangelij & ministerio Sacramentorum colligat, & fidem in cordibus per haec seu media seu organa accendat, illa quoq; Paulus vincula esse docet miranda nostrae cum Christo consociationis, aut veluti concrescientiae. Ideo de voce Euangelij Ephes. 3. non erubescit scribere, illius praedicatione ac manifestatione *ἕνωσιν τῶν ἐθνῶν συγκληρονομα καὶ σὺν ὁμῶμα καὶ σὺν μιᾷ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἡ ἡμεῖς*. Et Capit. 4. Ecclesiam omnium fideles unum corpus & spiritum unum esse ait, pro ut in spe una omnes vocati sint. Unum enim esse Dominum, unam fidem, unum baptismum, unum deniq; Deum & patrem omnium, qui super omnia & per omnia, & in omnibus nobis sit. Idq; ut pingat quodammodo, de hac ipsa consociatione cum Christo in unum corpus eodem in capite verbo medico vitur, inquit, Ideo dari a filio Dei sedente ad dexteram patris, haec magnifica dona, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores ac Doctores, ut ab illis κατὰ ἄσπερα sanctorum, quo ceu luxata ac suis locis excussa, aut aliquatenus etiam amissa membra, restituantur ac reponantur. Est enim κατὰ ἄσπερα propriissime membri luxati restitutio, quam arte ac prudenter fieri necesse est. Cum ergo respiciat ad id quod primo eiusdem Epistola capite dixit, de adiunctione ac copulatione *ἡ ἡμεῖς ἐκκλησίας* ad Deum, hic simili verbo vitur, sumpto a Chirurgorum arte, Ac per ministerium Euangelij membra luxata, corpori Christi restitui ac veluti summi in locum reduci ac coagmentari ait, Ad hunc ipsum κατὰ ἄσπερα *ἡμεῖς ἐκκλησίας* paulo post *ὁμοῦ τὸ σῶμα τῶν ἐθνῶν* nominat. Nam per hunc tanquam caput, corpus totum ligaturis & nexibus debitis colligari ac gubernari, Colossensium secundo, & hoc ipso capite,

ad.

adfirmat. Vinculum itaq; tertium est vocis Euangelij predicatio. Huic adfinia sunt & cognata, quae de utroque Sacramento noui Testamenti, De Baptismate & Cena Domini passim idem Apostolus tradit, ac saepe repetit. Nam de Baptismo Roma. 6. inquit, Baptisari in mortem Christi, quotquot in nomine eius baptizentur, imo conspeliui cum illo per mortem, atq; implantari instar surculorum in ipsum Christum, ut quemadmodum similitudini mortis complantati sumus, ita & resurrectionis eius similes, Ac quemadmodum Christus ex mortuis resurrexit, ita & nos cum ipso resurgamus, ut in vita nouitate ambulemus. Ad Galat. 3. cap. inquit, Quotquot baptizati estis, Christum ipsum induistis. Ac alibi rursum, nempe 1. Corinb. 12. inquit, Sicut vnum cuiuscuiusq; corpus est, membra habens multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno nos spiritu, in vnum omnes corpus baptisamur, siue Iudaei, siue gentiles, siue liberi, siue serui simus: Nam omnes in vno spiritu potati sumus. Ut ergo in Baptismo vnum commune $\rho\omicron\mu\alpha$ dicitur ac nominatur Spiritus sanctus, quo potati in vnum cum Christo corpus coalescunt quotquot baptizantur, facti videlicet illius corporis membra, quod Paulus, ut supra dixi, Ephes. 1. Cap. $\pi\lambda\eta\rho\omega\mu\alpha$ Christi nominat, in quo ille omnia in omnibus efficit. Ita non debet nec potest per vocis diuinam euidenciam mirum aut absurdum dici aut videri cuiquam, quod & in Cena dominica corpus ac sanguis Domini distrahatur, tanquam esca & potus similis, dicitur, ut & illorum interuentu vnum corpus mysticum fiant, quotquot de pane & poculo hoc participant. In quo corpore Christi mystico illi etiam verè ac spiritualiter filio Dei capiti agglutinantur, qui fide & Spiritu, seu, ut Paulus loquitur, dignè de hac communi mensa Domini participant. Certè Paulus de mystico corpore non obscure ait, Vnus panis est, ac proinde vnum corpus multi sumus, qui de pane vno participamus. Hic ergo si cetera paria sint, hoc est, si fides sit in participantibus, & vera ac seria poenitentia, profectò multi illi in corpus vnum coagmentati, etiam illud Christi corpus fuerint, quod illius $\pi\lambda\eta\rho\omega\mu\alpha$ Ephesios primo capite dicitur, in quo omnia noui hominis suiq; regni ac sacerdotij propria efficit ac operatur potenter.

Tot autem modos, seu vincula verius, arcana nostra cum Christo capite νοικωιας, συμπυιας ac σωςωμιας cum alleget Paulus, adeoq; ipsa Dei vox, & inter illa vincula Cœnam quoq; Domini referat ac connumeret, profectò mihi quissimum fuerit & à mente Apostoli alienissimum, excludere inde præsentis corporis, & sanguinis Christi distributionem præsentem. Nam illud redemptionis nostra λύτρον appellatione panis intelligere Apostolorum suo loco demonstravimus.

Esti verò fateor ingenuè, explicari non posse, à me præsertim, qualis sit præsentia huius Sacramentalis modus ac ratio, qua fit ut & corporis Christi interuentu, ac distributione corporali, illi unimur, atq; incorporamur, tamen iudico rectè & hunc modum in genere referri ad testimonia passim in diuina voce sparsa, in quibus expressè dicitur de missione qua filius æternus mittitur ad Ecclesiam, ad assumendam humanam naturam, & postea ad ministerium, de quo inquit, Vbiunq; nominis mei memoriam fecero, veniam ad te &c. Item, Vbiunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, Item, Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Et quanquam missionem ad assumendam humanam naturam, & ad ministerium, in quo filius Dei docuit Euangelium, & edidit testimonia miraculorum, & factus victima resurrexit ex morte, scriptores veteres nominant missionem visibilem, Et considerandum est accuratè, ubi dicatur de missione visibili, qua natus est filius ex virgine, & postea in ministerio patefactus, Tamen sciendum est, & hæc esse filij missionem, qua ut statim post lapsum Adæ in promissione mittitur ad genus humanum, Ita adhuc est mediator Immanuel & summus Sacerdos, & adhuc adest Ecclesie, & est perpetuus custos Ecclesie, & est efficax in Ecclesia per verbum & per Sacramenta à se instituta, cuiq; pars sit regni & sacerdotij, in quo exaltatus est Dominus noster Iesus Christus, verbi & Sacramentorum ministerium, remoueamus paulisper carnales imaginationes, de corporis quod assumpsit mole, figura ac modo, de loco item ac spacijs locorum, Et vbiq; locorum de hoc capite Ecclesie Domino nostro Iesu Christo verissimum esse sciamus, quod Marcus inquit cap. 16. Exiisse Apostolos, Et vbiq; (seu vt Matthæus & Paulus

Paulus habent. $\tau\upsilon\ \pi\epsilon\sigma\eta\ \alpha\tau\iota\sigma\theta$, hoc est, in omni creatura) docuisse Eu-
angelium, Domino hoc ubiq; illis cooperante, ac sermonem illorum per
signa sequentia confirmante. Itaq; exaltationem illam in regno & sacer-
dotio aeterno, sciamus dissimilem esse locationi Physica, Ac planè de
alio arcano modo intelligendam esse, De eo videlicet, quo natura as-
sumpta & unita τῷ λόγῳ, ibi est, ubicunque filius est efficax, nec
ex sancta Triade excludenda, nec à verbo vsq; in distractione separan-
da. Nam ut tres personæ diuinitatis non diuelluntur locis, sed simul
sunt ubiq;: Ita sciamus non diuelli naturas in Domino nostro Iesu
Christo. Nam inenarrabili modo ille filius aeternus inuolutus est
humanae naturæ, sicut inquit dictum, Et Verbum caro factum est.
Statuamus denique non adesse tantum filium Dei aut corpus & sang-
uinem huius in distributione Cœnæ Dominicæ, ut verba institutionis
disertè ac perspicuè promittunt, Sed cum per filium Dei, sicut supra
dictum est, immediatè Deo copulemur, credamus adesse ipsum etiam
patrem & Spiritum sanctum. Nam & personæ ipsæ à se inuicem
non diuelluntur locis. Et cum actio communis sit totius diuinitatis, hæc
Ecclesiæ collectio & sanctificatio, quæ sit voce Euangelij & ministe-
rio Sacramentorum, ut reliquæ actiones ad extra, ne ab illa ullam di-
uinitatis personam abesse existimemus. Quin potius ritum hunc dulcis-
simum aspicientes, cogitemus beneficium Dei ingens esse, quod illis
ipsis congressibus verè intersunt aeternus pater, & filius eius Dominus
noster Iesus Christus, & Spiritus sanctus, iuxta hoc dictum: Ubicun-
que sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.
Cogitemus & hoc ingens beneficium Dei esse, quod semper in genere
humano conseruauit & adhuc conseruat Deus honestos Ecclesiæ con-
gressus, seu magis seu minus frequentes, cum quidem Diaboli asidu-
is furoribus delere totum ministerium Euangelij, & prorsus dissipare
huius ritus & congressus per Tyrannos & Hæreticos conentur. Ac in
ipsa Cœna Dominicæ cum inclusa sit hæc promissio, quæ adfirmat non
meritauram esse Ecclesiam Dei in hoc mundo, lubet enim annunciare
mortem Domini, & hanc Cœnam distribui, donec venerit, cogitemus
nequaquam caput Ecclesiæ Dominum nostrum Iesum Christum inde
excludendum esse, Quin potius firmissimè statuamus, ita eam institu-

tam esse, ut non tantum vnus exigui momenti presentiam quomodo-
cumq; pingat aut significet, sed ut sit testimonium & pignus asidua
eius presentia & efficacia in nobis, & in Ecclesia. Hæc qui cogitant
de perpetua presentia & efficacia in singulorum pectoribus, megi-
latabuntur vsu Cœnæ Domini, & consolationem ex ea maiorem per-
cipient.

Atque hunc in modum video Doctores veteres de fructu &
effectu Cœnæ loquentes, ipsam quoq; inter vincula nostræ cum Christo
consociationis referre, nusquam tamen exclusa aut reiecta presentia
corporis presentis distributione. Sic enim Cyrillus inquit in caput Iu-
han. 15. tractans atque explicans hæc Christi verba, Ego sum vita
vera, vos palmites &c. Non tamen negamus, inquit, recta nos sine
caritateq; sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis con-
iunctionis rationem secundam carnem cum illo esse, id profecto perne-
gamus, Idque à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quia
enim dubitauit Christum etiam sic vitam esse, nos verò palmites,
quia vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia
omnes vnus corpus sumus in Christo, Quia etsi multi sumus, vnus
tamen in eo sumus, omnes enim vno pane participamus. An fortassis
putant ignotam nobis esse mysticæ benedictionis virtutem. Quæ cum
in nobis fiat, nonnè corporaliter quoq; facit communicatione carnis
Christi Christum in nobis habitare &c. Et paulò post, Vnde confide-
randum est, non habitudine solum quæ per charitatem intelligitur,
Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam
quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter li-
quefactæ ita miscuerit, ut vnus quid ex vtriusq; factum videatur, sic
communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos
in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad
in corruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei
adiungeretur.

Loqui hoc loco Cyrillum de participatione ea quæ in Cœnæ Domi-
nicæ distributione instituta est, & Pauli verba testantur, quæ Cy-
rillus allegat, & ipse Cyrillus, ad Cœnam disertè se referent.

tiā extorquenda perversitas est. Quae scripta sunt legamus, & que le-
gerimus intelligamus, & tunc perfecta fidei officio fungemur. De
naturali enim in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab eo disci-
mus, stultè atque impiè dicimus, Ipse enim ait, Caro mea verè est ca-
nis, & sanguis meus verè est potus, Qui edit carnem meam, & bibit
sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate sanguinis
& carnis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius
Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est,
Et hæc accepta atque hausta, id efficiunt, ut & nos in Christo, &
Christus in nobis sit. Anne hæc veritas non est? Contingat pluri-
bus verum non esse, Qui Christum Iesum verum esse Deum negant.
Est ergò in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc
quod sumus nos, in Deo est. Quod autem in eo pars per Sacramen-
tum communicata carnis & sanguinis sumus, ipse testatur dicens: Et
hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam &
ego vivo, & vos vivetis, Quoniam ego in patre meo, & vos in me, &
ego in vobis. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gra-
dum quendam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit, nisi
ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per
corporalem eius natiuitatem. Et ille rursus in nobis per Sacramen-
tum inesse mysterium crederetur. Ac sic perfecta per mediatorem u-
nitas doceretur, cum nobis in se permanentibus ipse maneret in nobis,
& ita ad unitatem patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter se-
cundum natiuitatem æternam inest, nos quoque in eo naturaliter inesse-
mus ipso in nobis naturaliter permanente & c.

Assuant iam Hylario quascunque volent Sacramentarij ca-
lumniarum ac sophismatum præstigias, in æternum tamen expungere
ex optimo scriptore nec poterunt, nec, ut opinor, audebunt, Quod ille
ait & adfirmat carnem & sanguinem Christi in Cæna sumi & hauriri,
Atque hanc fuisse suo tempore Orthodoxæ & Catholica Ecclesia fi-
dem indubitatam, ac minimè tum iudicatam vel absurdam vel impos-
sibilem. Deinde quod de effectu huius manducationis perspicue in-
quit, Hæc sumpta & hausta hoc efficiunt, ut nos in Christo & Chr-
stus

flus in nobis sit. Discreuit ergo & tunc temporis Ecclesiam formam
seu rem Sacramenti, ut hodie aliquibus loqui placet, hoc est, ipsum
corpus & sanguinem in Cæna sumptum & haustum, ab effectu, fructu
ac sine huius manducationis, Quia de re nobis hoc tempore acerrimè
aduersus Sacramentarios, discrimen hoc & confundentes & penitus
abolentes, contendendum est. Denique quod ait gradus quosdam at-
que ordinem esse consummandæ illius unitatis, quæ cum Christo no-
bis intercedit, Quodq; Sacramentorum mysteria in hoc ordine graduum
recenset. Hæc verò si obtineamus, non moramur accumulationem
absurdorum ac præstigiatorum, quibus piam hæc ac dulcissimam vete-
ris Ecclesiæ fidem ac confessionem id hominum genus obnubilat ac de-
format, Nobis vel unum hoc satisfecerit, quod & voci diuinæ & toti
Orthodoxæ Ecclesiæ consentanea sentimus, docemus ac profitemur, &
& hæc nos consolatione erigimus, Quod etsi premi aliquandiu veritas
potest, penitus tamen opprimi non potest, Quodq; præstigijs illis ac ne-
bulis calumniarum depulsis propediem Sol iusticiæ ac veritatis filius
Dei Testamenti sui veritatem ipsemet asseret, illustrabit & vindica-
bit, Nec permittet ut præstigia illa impia peruincant.

Plura testimonia Patrum idem comprobantia in præsentia non
commemoro, Quamuis sunt huius generis infinita. Hæc pauca attinge-
re volui, ut monerem adolescentes impudentissimos ac vanissimos Sa-
cramentatorum clamores esse, Quod se solos Orthodoxæ antiquitatis
consensu munitos, Nos contra illius suffragio profusus destitutos esse
dicunt, Nam de his quid statuendum sit ea quæ diximus osten-
dunt.

Superest ut verbo uno atque altero & illud sophisma dilu-
am, quo clamitant, Mysteria non corpori aut sensibus corporis, sed
menti & spiritui hominis proponi, Ac proinde absurdissimum esse
quod contendimus, ore nos corpus & sanguinem Christi sumere &
haurire, Institutam enim esse tantum sumptionem spiritualem quæ fi-
de & spiritu dijudicanda sit. Agnosco equidem nihil à me dici de hoc
sophismate posse, quod non dictum sit ab alijs etiam millies, Et esse hoc
hominum genus ita pernicax, & in concepta imaginatione absurditu-
E tum

rum & impossibilitatis perimax, ut profus sit insanabile. Sed rudis, res tamen monendi sunt, ut cum hæc sophismata legunt, iudicare possint, quid de his statuendum eis sit, Item, ut intelligant quid firmi illa habeant.

Primum autem exceptione uti poteram de eo quod aiunt, My-
steria non corpori aut sensibus corporis proponi. Nam & ipsa diuina
vox quæ mysterium est ἀπὸ τοῦ αἰσίου κερκυμυδῶ π. ut Paulus
plurimis in locis loquitur, sic hominibus proponitur, ut sensuum eti-
am externorum ope ac ministerio subire illam in animum ac spiritum
hominis oporteat, certè enim illa & legenda & audienda & cogitanda
est, ut potentia Dei sit ac fiat saluans credentem, Atque hic sua sensu-
um & organorum corporis ministeria & actiones esse non dubium est:
Quin ipsi Sacramentarij de sophismate hoc pugnantes cum fructum
omnem Sacramentorum collocent in solo visibili illorum contuitu, visu,
& adplicatione (Contendunt enim non alia ratione Verbum & Sacra-
menta inter se differre, quàm illa sola & vna, Quod Verbum auribus,
Sacramenta verò oculis proponantur, Qua de causa illi, Sacramentum
visibile verbum, Ac verbum ipsum audibile Sacramentum appel-
lant) Hæc ergò cum contendam, mirum est qua fronte illi suum illud
ἀἰσίου nobis occantent, Mysteria non proponi sensibus corporis,
Sed non est nobis opus hac exceptione: Alia magis euidentis responden-
di ratio est. Sit ergò hoc utrobiquè, confessum ac ratum, Mysteria non
proponi, ut in hac vita corpori seruiant aut prosint, ut Petrus de Ba-
puzmo inquit, non esse illum ed institutum, ut corporis aut carnis sor-
des abluat, οὐ γὰρ σαρκὸς ἀπόδοσις πῦρ ἀλλὰ σωσθῆσθαι
ἀγαθὸς ἐπερωτήμα ἵε θεῶν ἔστι δὲ ἀνασάσθαι ἰουρῆ χριστοῦ, Ac
sic Cœnam Domini institutam esse, non ut sit corporis sagma, sed
mysticus & spiritualis animæ cibus seruiens interiori homini alendo
& confirmando. Denique sit ratum ac fixum utrobiquè & hoc, My-
steria non esse exteriore aspectu iudicio, sensuum, sed verbo Dei,
Spiritu item ac fide, æstimanda ac dydicanda, Sunt enim μυστικὰ καὶ
actionesq; eiusmodi, quamuis visibiles ac corporales, in quibus cogi-
tandis, æstimandis, ac dydicandis versari pium animum decet, ut
ali

alicubi Gregorius, Theologi nomen apud Græcos meritis inquit,
διὸν μύσσωτα τὰς ἀιδήσεις, ἐξω σαρκὸς καὶ κόσμου ἡλόμε-
νοιν, αὐτῶ προσλαλοῦντα καὶ τοῦ θεοῦ, καὶ ζῶντα ὑπὲρ τὰ ὄρα-
μενα, Quia sensum ac rationem omnem in cogitatione ac dijudicatione
mysteriorum in obsequium fidei captivandum esse ex Paulo constat. Nec
solum in his aliud videtur, aliud creditur, sed et hoc ipsum quod credi-
tur, et sensum et rationis iudicium ac captum omnem longissime excedit
ac superat. Ac si ratione aut sensu asstimari, comprehendere et penetrari pos-
set, mysterium non esset nec dici posset. Atque id est, quod Paulus in-
quit, Spiritualia spiritaliter dijudicanda esse. Et fides est, ut author
Epistolæ ad Hebræos inquit, ὑπόστασις rerum sperandarum et
ἀεὶ ἄχθος non apparentium.

At his concessis ac positis utrobique, an propterea sequitur,
ipsas rerum naturas quæ verbo et mysterijs cateris promittuntur et
offeruntur credenti, mutari et conuerti μεταφύσικα quadam trans-
formatione, ut quæ sunt reuera corporales, propter hanc seu cogita-
tionem seu dijudicationem spiritualem desinant esse corporales, et si-
ant simpliciter spirituales, toto genere à corporalibus diuersæ, Vt re-
uera Sacramentarij pro corpore vero, ac substantiali, quod et tradi-
tum est pro nobis in cruce, et in verbis instituta Cœnæ disertè promit-
tuntur, aliud uocantur et intelligibile corpus seu donum substituunt, Quod
non sensibili oris manducatione, sed sola spiritali intelligentia fidei,
animo atque mente accipiatur. Id uerò quomodo et quibus de cau-
sis necessario sequatur, ac de mysterijs sentiendum omnino sit, demon-
strare τοὺς μυστηριολόγους evidentibus et inuictis rationibus ac do-
cumentis uerbi Dei oportebat. Profectò enim eo modo de mysterijs,
deque spiritali illorum dijudicatione, sentire, est pro rebus ipsis my-
sticis, substituere uanissimum proprii cerebri seu εἰδωλον seu somni-
um, non rationibus aut documentis diuinæ uocis, sed prestigijs et im-
posturis inanimis probabile. Nos sanè innixi firmissima uerbi Dei pe-
tra adfirmare non dubitamus, Corpus Christi traditum pro nobis in
cruce, cuius nobis participatio in Cœna promittitur et offertur, etsi
propter resurrectionis gloriam rectè dici potest, et reuera est, corpus
E 2 spiri.

spirituale, Tamen propter dijudicationem illam atque æstimationem spirituales, quam adfirmamus in manducatione illius adhibendam & necessariam esse, tam non mutari, aut propria sua substantia atque existentia non excedere, quàm certo nec panis symbolum subsistentia sua excedit, Aut quàm certò ipse manducans & dijudicans, homo esse non desinit, & in Spiritum non conuertitur. Præstigiæ sunt igitur & imposturæ intolerabiles hi lusus, Quos in vocabulo spiritus & spirituales, agunt $\mu\upsilon\sigma\alpha\rho\acute{\iota}\mu\alpha\chi\omicron\iota$ cum tam horribili tamq̃, diuturna turbatione ac distractione totius Ecclesiæ. Nam qui penitus has imposturas introspicit, videt non obscure in hunc eos modum argutari: Omnis res & actio mystica opus habet consideratione & dijudicatione spirituali. Ergo & res ipse mysticæ simpliciter sunt ac merè spirituales. Vel hunc certè in modum: Cogitantem atque æstimantem mysteria necesse est duci ac regi à Spiritu sancto tanquam duce & ἀρχηγῶ, præeunte ac prælucente simul tanquam flamma lucida verbo & fide. Ergò mysteria ipsa tantùm sunt res spirituales, intelligibiles, ac supernaturales.

At vocabulum spiritus ὁμῶναι primum atque ambiguitate mirifica contortum ac deprauatum, sycophanticè in his transferri ac transponi, cuius mediocriter & insinuato & attento facile est cernere. Lusus est igitur quatuor terminorum, ut in Dialecticis pueri loquuntur, seu fallacia quam vocant compositionis & diuisionis, magnifico verborum apparatu, & operosa quasi strue grandiloquentiæ implicata & inuoluta, Aut certè tanquam meretricula bellè compta, ornata, & instructa ad utrunque, ad $\chi\epsilon\upsilon\sigma\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ erga imperitos & stultè credulos, & contra ad $\kappa\alpha\kappa\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ & horribilia maledicta, conuicia, & probra aduersus dissentientes: Nam ex hoc fonte sunt & oriuntur illa horrendæ probrorum de Capernatica & Thyestea lamina ac $\kappa\epsilon\epsilon\omicron\phi\alpha\gamma\iota\alpha$, voces, in Deum & mentis pias blasphemæ ac contumeliosæ. At si nudam producerent illam seu $\sigma\omicron\upsilon\alpha\sigma\iota\lambda\acute{\omega}$ seu ἄτῳ præstigiaticam, vel ipsi pueri imposturæ euidentiam animaduertent & irriderent. Denique & hoc falsum ac mendax fundamentum seu ἀξίωμα præstigijs illis subest, spectri potius quàm ἀξίωματ & nomine dignum.

Non esse aut dici posse res spirituales, eas, quæ reuera corporales sunt, selectæ tamen & destinatæ usibus sacris, diuinis & spiritualibus, ipsius Dei verbo ac voce, quæ ex ordine ac numero creaturarum quodammodo eximuntur ac reuera sanctificantur. Quod uocationis, exemptionis ac sanctificationis genus, veterum scriptorum aliqui Gratiam spirituales vocant, quæ rebus corporalibus adicitur, ut Theodoretus de Symbolis sensibilibus & naturalibus Cœnæ Domini, pane scilicet & uino, inquit, illa appellatione corporis & sanguinis Christi honorata ac nobilitata esse, ut hac adiectione gratiæ commune facti uescentes, certè credant ac statuunt non nudo & simplici pane & uino, sed reuera ijs rebus quæ institutionis uerba promittunt, corpore uidelicet & sanguine Domini, se uesci ac frui quoties ad mensam hanc Domini accedunt. At hi ut Pontificij panem & uinum Corpus Christi esse non posse contendunt, nisi $\mu\epsilon\tau\alpha\theta\omicron\lambda\lambda\omega$ ἢ $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\iota\alpha\gamma$ ὑποφυσικῶς aboleatur panis & uini substantia, Ita Sacramentarij, corpus & sanguinem Christi uerum ac substantialem pro nobis & traditum & profusum in Cœna, corporaliter ac substantialiter præsentia, dari non posse clamitant & dimicant, nisi pro substantialiter uero corpore, corpus aliud spirituale $\chi\epsilon\lambda\iota$ $\nu\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon$ seu, ut ipsi loquuntur, intelligibile corporis & sanguinis donum substituatur, percipiendū spirituali fidei animi & mentis intelligentia. Fingunt ergo & ipsi ac statuunt in Cœna $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\omicron\sigma\phi\omega\sigma\iota\pi$ ἢ $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\iota\alpha\gamma$ planè prodigiosam. Nā manducationem oris, actionem corporis sensibilem, cui præluere debet uerbum Dei, & fides uerbo illo innitens, & dux, rector et inflammator Spiritus sanctus, transformant in spirituales fidei, animi & mentis intelligentiã: Postea corpus ipsum Christi uerum ac substantiale traditum pro nobis, Sanguinem item uerum effusum pro nobis in remissionem peccatorū, transformant $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\omicron\sigma\phi\omega\sigma\iota\alpha$ ἢ $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\iota\alpha\gamma$ eadem in intelligibile & incorporeum donum spirituale. Hanc itaq; $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\omicron\sigma\phi\omega\sigma\iota\pi$ ac $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\iota\alpha\gamma$ Sacramentarij agnoscere discant piæ mentes, Et an disertis & perspicuis uerbis institutionis illa congruat ac consentanea sit, reuerenter considerent.

Deniq; & hoc cogitent, si hæc eis licentia fingendi ac transformandi, hoc in loco permittatur, Quid futurum sit in cæteris multò maioris momenti rebus, uel ab ipsis uel alijs fanaticis? Nam si uerum est illorum $\alpha\iota\sigma\iota\omega\mu\alpha$, & inde extructæ argumentationes, Ut hoc manducantem my-

steria, & his credentem necesse est esse spiritualem, Ergo & ipsa mysteria merè sunt spiritualia, hoc est, res & dona incorporea & intelligibilia. Rectè quis argumentabitur, Mariam virginem matrem Domini credentem & obumbrante Spiritu sancto concipientem, Eo ipso quod sine & Spiritu concepit, non concepisse nisi spiritualem & ὁμοιωτόν & intelligibilem filium, Ac proinde φῶς μ.α. verius & spectrum fuisse Christum quàm hominem verum ex Maria conceptum & natum, id quod Marcionis colluies pertinacissime olim contendit ac disputavit.

Hic verò si excipient, illa se δὲ φ.μ.α. ac portentosa mimimè probare, liceat & nobis vicissim excipere & respondere, vel ex vno exemplo hoc satis perspicuè refutari ἕξω μ.α. illorum falsum, cui μ.ε.τ.α.μ.ὸς φ.ω.σ.ι.ρ. suam ac μ.ε.τ.α.σ.ι.α. Sacramentariam superextrinam, Nam & hic conceptio & nativitas, etsi est res corporalis ac naturalis, fide tamen & Spiritu cum fiat, spiritualis quoq; ac supernaturalis dicitur & est, nec mutat concepti ac geniti filij naturam, Vt Sacramentarij & manducationem, & ipsam substantiam corporis Christi, in fidei intelligentiam spiritualem & dona incorporea commutant.

Poterant eius generis exempla plurima ostendi, ut à Lutero, summo in hoc genere artifice ac magistro, multa iam olim Sacramentarijs opposita sunt, ad quæ illi ne gry quidè hætenus responderūt. Sed parcendum est & tempori & occasione præsentis. Quare ut responsum nostrum summatim tandem complectamur, sciant piæ mentes, Aliquando vocabulum Spiritus referri ad eos, qui mysterijs utuntur, ut cum dicimus, Manducantem oportere esse spiritualem, seu oportere eum regi duci & inflammari à Spiritu sancto, Aliquando referri ad ipsa mysteria & ad modum illorum arcanum, oppositum impiæ & prophane imaginationi Capernaitarum, quales reuera sunt. hoc tempore Sacramentarij, qui fascinati imaginatione Capernaitica nihil neq; mysticum neq; spirituale in Cœna esse posse opinantur, nisi præsentis & coràm exhibitæ corporis distributio & manducatio corporalis excludatur, Et in certum cœli locum corpus Christi concludatur. Sic mystica dicimus res esse spirituales, id est, æstimandas & djudicandas Spiritu & fide præeunte ac prælucente, non ratione aut sensuum iudicio, Hæc verò djudicatio, rerum naturas non mutat, nec ex corporalibus ac verè subsistentibus corporaliter, incorporeas & intelligibiles tantum efficit. Atq; hoc modo

vocabulo. vterentur Sacramentarij, facile tolli poterat omnis dissensio :
Nam & nos libenter fatemur presentiam corporis Christi veri ac sub-
stantialis, non solum spiritualem, hoc est, inforutabilem & imperuesti-
gabilem, Sed planè caelestem ac divinam esse, si modum presentiae quis
ipsetet, aut manducantium conditionem, Non si vocabulum spiritus
corporis determinationi adijciatur, Et pro vero ac substantiali aliud
vortop, αὐτῶν τῶν donum, substituatur. Sed fui prolixior in respon-
dendo, quam hunc locum & cætum decebat, Et non potest res grauis-
sima & maxima paucis exponi: Itaq, ad alium illa locum, tempus &
occasionem differo. Ac conclusionis loco iunioribus breuiter repeta
dulcissimos Philippi versiculos, factos ex lectione Euangelij proximi.

Quantus erat dolor in Cananæ, matre puellæ

Cuius mens furijis exagitata fuit:

Intanto nunc est Ecclesia mæsta dolore

Doctorum furias dum videt atq, ducum,

Sed tu Gnate Dei sæuos depelle furores,

Et sanes verbo pectora nostra tuo.

Quamuis ira tui nos urget iusta parentis

Et sumus vt turpes nos rea turba canes,

Attamen vt timide sub mensa captat herili

Esuriens modicæ parua catella dapes:

Sic cum dira fames nostros assumpserit artus

De mensa petimus pabula Christe tua.

Gnate Dei generis nostri cum sumpseris artus

Nos gerat infirmos hæc tua massa precor.

In forma quod nos hominis placidissime Christe,

Aspicis, & tamen es conditor ipse Deus,

Et nostram massam miseratus crimina tollis,

Et vitæ aternæ gaudia vera dabis.

Hæc grati canimus tua dona, simulq, precamur

Tu nos vt doceas luce regasq, tua.

D I X I.

EPI

EPISTOLA D. LUTHERI, ERUDITA ET
VERE APOSTOLICA, SCRIPTA AB
ipso mense ante obitum eius beatum quintodecimo, opo-
ponenda illorum clamoribus, qui nunc demum dicti-
tant, non solum non fuisse inter Lutherum & Philip-
pum de Cœna Domini vllum vnquam consensum,
sed perpetuum planè dissidium &c. Ex
autographo Lutheri optima
fide descripta.

VENERABILIBVS ET
MANTISSIMIS DOMINIS ET FRAT-
ribus Balthasari Alterio & socijs in confessione Christi Vene-
tjjs & Vincentiæ &c. sincerissimis & fide-
libus.

G. & Pacem in Christo Domino & saluatore nostro Amen.
Quod serò ad literas & petitiões vestras amabilissimi in Domino
fratres respondeo, per Christum rogo ne imputeris meæ vel ne-
gligentiae vel ingratiudini. Imo & hoc rogo, si in futurum negli-
gentior visus fuero, ne vlllo modo credatis, cor meum erga vos
frigere aut torpere, Testis est & erit mihi ipse cordium inspector
Dominus, quàm fraternè, imò quàm reuerenter de vobis cogita-
mus, vt quos videmus dono excellenti Spiritus Christi sic imbu-
tos, sic ornatos, sic roboratos in cognitione filij Dei, vt vestri
comparatione nobis ipsis vehementer sordeamus ac displiceamus.
Qui cum verbo Dei abundemus, in securiore loco, tamen
nimis frigemus vita ipsa, & plus satis tepenti spiritu sumus. Non
igitur prætexo multitudinem negotiorum, non senectam per
sele

se se pigram & frigentem, ac nunc etiam exhaustam & decrepi-
 tam, Sed quod sentiam nihil opus esse meis literis. Deinde pude-
 me ad vos exhortandos scribere, cum nihil dignum vestro spiri-
 tu possim scribere, tanta vos praeuenit benedictione benedictus
 & dulcis saluator noster Iesus Christus, ita ut magno sitis nobis
 gaudio, Et ex vobis & literis vestris plus consolationis accipia-
 mus, quam vos ex nostris accipere possitis: Non mentior, testis
 est (ut dixi) Dominus. Cum verò * Matthias Illyricus vestri stu-
 diosissimus non desineret exigere literas saltem saluatorias, ne vo-
 bis in afflictione positus suspitio aliqua oriretur, quasi vestri nos
 coepisset negligentia vel oblitio, coactus sum istas breuiore scri-
 bere. Admonuit autem me de scribendis denuo literis per prin-
 cipes nostros ad Senatum Venetum pro vincis confessoribus
 Christi: Ac scio sane, esse Principes nostros locutos cum legato
 Veneto: Quid is effecerit ignoramus: Quod si porro spes sit pro-
 futuras esse literas Principum ad Senatum Venetum, opera no-
 stra non deerit. Suspiciantur sanè quidem, esse Principes nostros
 in parua opinione apud Venetos. Altetum admonuit Matthias,
 scilicet irrepere etiam in Italiam pestilentiae Magistros, qui no-
 stram Germaniam adhuc hodie apud Heluetiorum partem di-
 uexant, Sacramentarios dico, Qui nobis ex corpore & sanguine
 panem & vinum faciunt, Qui in principio fuere hydra octiceps.
 Sex capita contudimus, Languent adhuc duo capita, scilicet
 Zuuinglij, cuius furor fuit iste, Hoc est corpus meum, id est, signi-
 ficat corpus meum. Et caro non prodest quidquam. Quan-
 quam hoc alterum non Zuuinglij, sed Oecolampadij fuit. Insul-
 sissima & stultissima sunt eorum Argumenta, ut non errore sed
 operante Satana scientes veritatem impugnare conuincantur.

*
 Intellige
 non Flaci-
 um illum,
 qui has ter-
 ras turba-
 uit. Sed op-
 mum illum
 virum, ista
 turbatori
 ὁ μὲν οὖν μὲν
 quidem ac
 conciuem,
 sed & aetate
 maiorem &
 studio meli-
 orem, qui
 in Acade-
 mia Tubin-
 gensi a i-
 quandiu do-
 cuit, omni-
 busque bo-
 nis probata
 virtute ac
 fide sua cha-
 rissimus ibi
 fuit.

In lingua nostra scripsi multa contra eos, Latine scribere mi-
 hi non opus esse duxi, cum id mali tantum in Germania & Ger-
 manica lingua furere coepisset. Meditor autem, postquam satis
 serò nunc intelligam, illos per latinam linguam suum virus spars-
 sisse, & spargere in Italiam & Galliam, aliquid latine edere.

F Quan-

Quamquam malle hoc tentari ab aliquo vestrum, vel Gallico, cuius esset in latina lingua maior usus. Mihi ut videris latinæ linguæ modicus est usus, qui in barbaræ Scholasticorum Doctorum ætatem consumpsi. Igitur vos non fallant obsecro in Domino siue Tigurense, Bullinger, Pellican, nec ipse Bucerus, qui dicitur in principio Tragediæ multa latinè scripsisse (quæ non vidi) Sed iam dudum relipulle mihi persuadeo. Quin si forte audieritis D. Philippum vel Lutherum consensisse illorum furori, propter Deum nolite credere. Sic enim audio illos vel aliquos illorum sparsisse rumorem, ut erroris sui pestilentis, etiam sub nostro nomine patrocinium & auctoritatem haberent. Nolite credere, Pseudoprophetæ sunt qui Galatas subvertere volunt. Sed si Dominus me volet diutius vivere, plura fortasse in publicum dabo. Valetudinarius, senex, piger sum, & horam gratiæ expecto, Quam & vos oro ut vestris orationibus mihi impetretis. Dominus noster Iesus Christus, qui nos & vos vocavit, & in eodem Spiritu vniuersim & vniuersos fecit, conseruet, roboret, perficiat nos & vos in eandem formam & imaginem filij sui dilecti, Amen. Vitebergæ XII. Nouembris 1544.

Martinus Lutherus.

SVO IN DOMINO
Iacobo Preposito Bre-
mensi.

Ex autogra-
pho.

Salutem & pacem. Senex, decrepitus, piger, fessus, frigidus, Sacram monachus scribo, & qui sperabam mihi nunc emortuo, requiem (ut mihi videtur) iustissimam dari. Quasi nunquam egerim, scripserim, dixerim, fecerim, ita obruor scribendis, dicendis, agendis, faciendis rebus. Sed Christus est omnia in omnibus, potens & faciens, benedictus in secula, Amen.

Quod

Quod scribis Heluetios in me tam effertenter scribere, ut me infelicem & infelicis ingenij hominem damnent, valde gaudeo. Nam hoc petivi, hoc volui, illo meo scripto, quo offensi sunt, ut testimonio publico suo testarentur, sese esse hostes meos, hoc impetraui, & ut dixi, gaudeo. Mihi satis est infelicissimo omnium hominum, una ista beatitudo Psalmi, Beatus vir qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec sterit in via Cinglianorum, nec sedet in cathedra Tigurinorum. Habes quid sentiam. Caeterum quod petis, ut pro te orem, hoc facio, tu vicissim pro me ores quaeso, & sicut ego non dubito, tuas pro me orationes valere: ita ne dubites, meas pro te valere: Et si ego prior abiero, quod opto, traham te post me, si tu prior abieris, trahes me post te. Quia unum Deum confitemur, & expectamus saluatorem cum omnibus sanctis. Louuenses iam publico scripto coepi tractare, quantum Dei dono potero, iratus enim sum in ista bruta, plusquam deceat tantum me Theologum & senem: Sed Sathanae monstris oportet occurrere, etiamli ultimo spiritu in eos flandum sit. Vale. Et cogita te esse mihi non modo ex veteri & familiarissima amicitia, sed propter Christum, quem una mecum doces, charissimum. Peccatores sumus, sed ille est nostra iusticia, qui vivit in aeternum, Amen. XVII. Ianuarij Anno M. D. XLVI. Saluta tuam, tuos nostros, omnium nostrorum nomine reuerenter.

Hoc fuit usum.
Das kurz
bekentnis
D. Mart.
Lutheri
vom Sa
crament.

T.


Martinus Lutherus.


Post mensem, Islebiae, extinctus est, eo ipso anno, Die Concordiae X VIII. Februarij, Anno M. D. XLVI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Martin Luther

... in Christo Amen. Dr. Martin Luther
... 1521







3877

Th
1286